

DE  
RABIE CANINA.

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA,

QUAM

CONSENSU ATQUE AUCTORITATE AMPLISSIMI  
MEDICORUM ORDINIS

IN

UNIVERSITATE CAESAREA LITERARUM  
DORPATENSI,

UT GRADUM

DOCTORIS MEDICINAE

RITE ADIUDICATOR,

LOCO CONSUETO PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

AEMILIUS VOGEL;

SAXO.



DORPATI LIVONORUM,

TYPIB. J. C. SCHÜNMANNI, TYPOGRAPHI ACADEMICI.

MDCCCLXVII.

Imprimatur,

ea tamen conditione, ut, simulac typis excussa fuerit  
haec dissertatio, antequam distribuatur, septem exem-  
plaria ei Collegio, cui censura librorum mandata est,  
mittantur.

Dorpati Livonor. d. v. Mens. Maji MDCCCXXVII.

Dr. J. C. M o i e r,  
Censor.

P A T R I

OPTIMO AC DILECTISSIMO

A. L. V O G E L,

MEDICINAE ET CHIRURGIAE DOCTORI, UNIVERSITATIS  
CAESAREAE CARANENSIS MEDICINAE PROFESSORI  
PUBLICO ORDINARIO, ETC.

HASCE

STUDIORUM SUORUM PRIMITIAS

PIO ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

Prooemium,

Quamquam supervacaneum videri possit de rabie canina, in qua disquirenda ac describenda, jam tot viri doctissimi omnium fere temporum et populorum, praecipue vero, qui nostris floruerunt temporibus, versati sunt, multis adhuc disserere; tamen quae est eorum, qui huic materiae dilucidandae operam navarunt dissensio, ad tantae gravitatis disquisitionem denuo perscrutandam satis provocare videtur. — Tantum enim abesse, ut convenerit inter medicos, quae et qualis sit huius morbi origo, natura atque curandi ratio, ut potius quisque, hac de re mediatus, aliam tulerit sententiam, nemo erit, qui neget. — Hiuc factum est, ut innumerabilia fere remedia, eaque maxime inter se differentia, huic morbo sanando apta praedicarentur, quorum nullum vero hucusque satis certum repertum sit. Quamquam mihi, tironi,

nondum contigerit, ut novam hydrophobiae mendendi rationem invenirem, haud inutile tamen mihi visum est, quae cognitione digna, ex iis, quae praesto erant scriptis, colligere, et quae ipse de hujus morbi natura et de curandi illius methodo sentiam, proferre. — Noli vero expectare, me enumeratum esse omnia et cognita et incognita rabiei caninae remedia. Omissis multis aliis, ea tantummodo accuratiori examini subicienda censeo, quae auctoritatem sibi conciliaverant, et quae in recentioribus temporibus commendata sunt.

Postremo rogo te atque rogo, benevole Lector, ut bona cum venia minus acerbe dijudices hoc primum thronis specimen.

## Diagnosis morbi.

**R**abies canina in antiquissimis jamjam temporibus et Graecis et Romanis bene fuit cognita <sup>1)</sup>. Huic quoque morbo a symptomate in decursu ejus semper obveniente nomen Hydrophobiae impositum est. Horror autem cujusque liquoris ac praecipue aquae saepius in aliis quoque morbis, praesertim in febrilibus, observatur, qua de causa medici plures discernere hydrophobiae species coacti sunt, et a variis hujus mali scriptoribus, variis cognominibus designatus est morbus. Cel. Haase <sup>2)</sup> morbum nominat: Hydrophobiam a mor-

1) C. Brutscher diss. histor. rab. can. Dorpat 1829.

2) Ueber die Kur und Erkenntniß der chronischen Krankheiten.

su canis rabidi & idiopathicam; Bader<sup>3)</sup> Hydrophobiam nervosam veram; alii autem nomen Hydrophobiae contagiosae, verae imposuerunt, Rougemont<sup>4)</sup> proposuit nomen „Hydrophobia spontanea, primitiva.“

Hydrophobia vera, periculosissimus et horribilis morbus, in organismo humano tantum inoculatione salivae animalis rabidi progignitur. Ut majori cum ordine symptomata morbi afferre possimus, necesse est plura assumere stadia. Nonnulli auctores e. g. Dreyfzig, duo statuunt stadia, melius autem mihi videtur cum Cel. Haase et Rougemont hujus morbi decursum in tria describere stadia, quae sunt: 1) Stadium prodromorum. 2) Stadium convulsivum. 3) Stadium hydrophobicum.

1) Stadium prodromorum. — Secundum Rougemont hoc stadium explet illud temporis spatium inde a transportatione contagii usque ad prima notabilia morbi phaenomena. Hujus stadii prodromorum

3) Versuch einer neuen Theorie der Wasserscheu.

4) Abhandl. über die Hundswuth. Aus dem Franz., von Wegeler.

morum longinquitas in pluribus casibus non semper eadem. Certissimis enim celeberrimorum medicorum observationibus edocti scimus, rabiei evolutionem modo intra viginti et quatuor horas, modo anno deapum elapso, manifestam fieri. Hinc multas observationibus nisus, contendit, hoc stadium saepissime circa quatuagesimum diem fuitum esse. Si quaeritur de causa varietatis in respectu evolutionis primi hujus morbi stadii, respondeo: quo major copia veneni in vulnus illati, quo minus vulnus medicaminibus loesivis curatum, quo citius ad cicatrizationem perductum, quo major aegroti affectio animi, eo citius quoque symptomata morbi apparent. — Vulnura quae adsunt, si modo non nimis magnum habent circuitum, leniter tantum dolent, haud malam ostendunt naturam, ac plerumque in parvo temporis spatio bona cicatrice obdusa sunt. In plurimis casibus primo stadio nulla morbosa symptomata observantur. Cel. autem Haase l. c. et Aghoven<sup>5)</sup> jam nunc nonnulla, haud magni quidem momenti, observaverunt phaenomena, statum irritatum sy-

5) van Aghoven diss. de hydroph. Berol. 1822.

sternatis nervorum significantia. Inquietudo, anxietas, somnus gravis, somniti interruptus, sensibilitas aucta sensuum, photophobia, splendor insolitus oculorum, vertigo, susurrus aurium, pallor cutis, horripilationes, respiratio difficilis, defectus appetitus ciborum, pulsus inaequalis parvus ac spasmodicus a vitis supra nominatis observata sunt.

2) Stadium convulsivum. — Primae apparitiones morbosae loco laeso in adpectum venientes ac insignis alienatio coenesthesese initium stadii secundi constituunt. Inter diem tertium aut septimum usque ad vigesimum delatum est. — Vulnus, quod raro autem accidit, nondum cicatrice obductum, nunc insignes mutationes ostendit. Color ejus mutatur, livescit, dolet, intumescit, impuram formam induit, spongiosam granulationem ostendere incipit; suppuratio, huc usque normalis, desinit, et sanies, pessimi odoris et coloris, in magna copia nunc seceratur. Si autem, quod saepius fieri solet, vulnus jam cicatrice obductum fuit, deinde inflammatur, rubescit, livescit, intumescit, prurit et excitantur pungentes, mordentes dolores, qui vel parte affecta lenissime tacta, vehementer augentur. Dolor a loco

laeso directione et decursu nervorum per totam partem propagatur. Denique autem cicatrix aperitur, formatur ulcus impurum, saniem fuscam, subrubicundam, decolorem, putidam corrodentemque secerans. Margines vultus esse erigunt et dolent, incarnatio luxuriosa, spongiosa existit, ac omnes fere partes, locum affectam circumdantes, eodem afficiuntur dolere. A nonnullis medicis, e. g. I. Frank, interdum loco, jam cicatrice tecto, livida tantum cuticula observata est, quod ut Moscati <sup>6)</sup> contendit, certum est signum cicatricis venenati. Haud raro cicatrices non aperiuntur, dolores autem nunquam desinit et in totum membrum dispanantur. Una cum hisce symptomatibus localibus in adpectum veniunt signa, quae indicant, functiones, omnium fere systematum et organorum, turbatas esse. Animi status aegrotantis valde mutatus, saepissime suspiciosus, diffidens, morosus, hominum consuetudinem fugiens, teubarum solitudinisque amans. Magna anxietate ac inquietudine cruciatus, aut in profundissima, tristissima, taciturnae meditatione torpet; rarius

<sup>6)</sup> Salz. med. Zeit. 1795. 2. B. p. 148.

tantum loquacitas inconsueta observata est. Aegrotus queritur de vertigine, torpore, tinnitu aurium, obnubilatione oculorum, nausea, vomitione, siti et calore corporis aucto. Saepius quoque aegrotus sensum frigoris per totum corpus sentit. His accedunt palpitatio cordis, singultus, tendinum saltus, agrypnia. Mentis turbatio magis magisque est perspicua. Denique convulsiones musculorum colli et faciei apparent, pulsus parvus, celer, durus et plenus. Deglutitio jam est impedita. Quae symptomata quidem remittentia per aliquot tempus, majori vi revertuntur et crescant, donec morbus in tertium stadium transit.

5. Stadium hydrophobicum. — Metus et horror aquae omniumque rerum fluidarum, hoc stadium initium, indicant. Tempus autem hujusce stadii ad diem secundum aut tertium procedit, rarissime tantum usque ad diem sextum protrahitur. Omnium horum tristissimorum symptomatum nullum est stabilis, horrore liquorum omnium generis. Aegrotus, siti magna cruciatus, eam sedaturus, incredibili anxietate corripitur et formidine maxima omnem potum respuit. Sitis per magnum asequitur gradum, anxietas autem etiam augeatur et aegrotus nullo pacto liquores deglutire

potest. Hic inexpugnabilis sensus ad tantam pervenit intensitatem, ut miser tremore totius corporis, convulsionibus et spasmis organorum deglutitionis et praecipue oesophagi opprimatur, rerum fluidarum adspecu, nomine aut cogitatione. Quae aversio postremo tanta est, ut aegrotus ne res quidem nitidas contemplari possit. Strepitus aquae, urinae excreta, aquae tactus, minimae aëris motiones intolerabilem anxietatem, gravissimas convulsiones excitant et rabiei impetum accelerant. Plurimi ne salivam quidem devorare queunt. His jam allatis symptomatibus adhuc multae aliae apparatus accedunt. Vultus est suspensus incertusque, oculi splendore insolito fulgentes, circumvagantur, ac lucis quam maxime impatiens est aegrotus. Sermo est celer, vox febilis. Advenit anxietas ac dolor circa cor et ventriculum, vomitio et vomitus, quo ejicitur materia mali coloris foetidique odoris. Os glutinosa fere saliva repletum. Respiratio difficilis. Pulsus arteriarum valde mutabilis et innormalis, nunc parvus, debilis, nunc plenus, durus, spasmodicus, contractus, intermitens, celer et inordinatus.

Ex arteria missus sanguis in nonnullis casi-

bus normalem habuit naturam, plerumque autem repertus est dissolutus, aquosus, nigricans et sine crusta inflammatoria. Alvijs sæpissime est obstructa, aut diarrhoea sequitur obstructionem. Urinae excretio maximis doloribus conjuncta. Urina ipsa est ardens, acris, fusca, foetida et pauca. Febris signa raro tantum reperta. Haecce symptomata, interdum per breve temporis spatium remittentia, cum majori gravitate redeunt, progrediuntur et usque ad manifestum rabiei impetum crescunt. In rabiei impetu sive paroxysmo, aegrotus personas circumstantes dignoscere non potest, vultus est intolerabilis, intortus et furiosus, pupilla amplificata. Convulsiones ingentes, spasmi, et clonici, et tonici musculorum faciei, colli et extremitatum oriuntur et vix aërem ducere possunt aegroti. Lugubrem truceque edunt clamorem, maximo furore correpti sunt, et tantum sæpe ostendunt robor, ut vincula, quibus retinentur, disrumpant. Sæpe accidunt, ut morsu nocere audeant. Vehementes erectiones membri virilis, seminis ejaculationes cum spasmi, et maxima ad coitum libido, invenimur. Hi paroxysmi, plerumque, quadrante horae praeterlapso, silent, et aegrotus defatigatus in hoc lucido in-

tervallo, tristissimum suum statum bene sentit ac intelligit. Sed aliquot tempus post, paroxysmi, quorum reditum sæpe aegrotus satis certe praediceret potest, iterum apparent, vires corporis magis magisque collabuntur, et aut languore confectus, aut ingenti anxietate et convulsionibus perit.

Quae peritissimi medici, in secandis hoc morbo defunctorum cadaveribus, invenerunt mutationes, tam variae fuerunt, ut nihil inde certi resultet. Igitur supervacaneum esse mihi videtur, uberius et fusius de sectionibus verba facere. Sæpissime adhuc observata sunt abnormis substantiae cerebri siccitas, membranarum cerebri inflammatio, oesophagi et organorum respirationis inflammatio ac spasmodica contractio. Ita quoque ventriculus inflammatus, gangraenosus, foetidissimis fluidis impletus apparebat. Vesica urinaria et cetera organa uropoetica inflammata, eorumque vasa sanguifera sanguine tumentia inventa. Sallin observavit inflammationem gangliorum colli. Corpora defunctorum celeriter putredine solvantur. Interdum vero ne vestigium quidem ulius status pathologici detegere poterunt.

## De causa morbi et natura contagii.

Hydrophobia vera cum hominibus tantum inoculatione salivae animalis rabidi communicatur. Sed licet nonnulli, qui hunc morbum tractarunt, putent fieri, ut rabies canina in homine ipso sponte, sine ulla infectione exoriat, alique certissime adeo persuasi sibi habeant, rem ita esse; tamen sententiam cel. Mease 7) et aliorum assensione comprobarem, illos in hac re errasse. Qui illi sententiae favent, plura quidem exempla allegant quibus manifestare volunt, hydrophobiae symptomata morsum hominum iratorum, et subitam vicissitudinem magni caloris et frigoris secuta. Ita quoque hydrophobiam veram exoriam esse, si homines, currendo calefacti, potum frigidum biberent. Sed jure meritoque contendere possumus, in hisce casibus hydrophobiam fuisse symptoma tantum aliorum morborum, praecipue inflammationis cerebri, medullae spinalis, organorum respirationis, diaphragmatis, aut ex vividâ imaginatione metuque originem traxisse. Quoad

7) An Essay on the Disease produced by the Bite of mad Dog. Philadelphia 1795.

experimenta nondum sunt insituta, salivam aegrotantium, in quibus hydrophobia ex antea allatis causis nata est, animalibus inferre, et hac operatione in his quoque rabiei evolutio observatur, putarem, mihi licitum esse contagium hydrophobicum habere venenum sui generis, quod solis in his brutis, quae inter canes sunt referenda, produciatur, cujusque evolutio in ipsa organisatione horum animalium continetur. Me quidem non fugit, hydrophobiam in hominibus quoque morsu felis, anatis, aut gallinae in adspæctum venisse. Quae autem observationes, id, quod contendî, refutare non possunt. Nam perpauca tantum ejusmodi exempla hucusque existunt, ac, ut mea refutaretur sententia, necesse esset, demonstrare, illa animalia a cane rabido antea laesa non fuisse, atque metum, vividamque imaginationem aegroti hydrophobiae symptomata non produxissent. — Plures auctores quoque praedispositionem causam statuunt, dicentes, contagium requirere aptam receptioni constitutionem et Hamilton 8) persua-

8) Bemerk, über die Mittel wider den Biss toller Hunde, Leipz. 1787.

suum sibi habens, rem nullam plane dubitationem relinquere, ex undeviginti hominibus, morsu animalis rabidi affectis, unum tantum praedispositione necessaria praeditum esse, censet. Ejusmodi autem praedispositionem cel. Bader l. c. negat. Existunt enim causae, quibus fit, ut homines, ab animalibus rabidis laesi, in morbum tamen haud delabuntur. Saepius enim accidit, ut canem, qui homines aggreditur, in numero animalium a rabie canina correptorum ducant, quamquam nulla illius morbi praesens ferebat signa. Ea de causa aliter fieri non potuit, ut etiam si a cane laesi homines, neglectis omnibus remediis prophylacticis, in rabiem non ceciderint. Tunc alia causa, qua fit, ut rabies in hominibus morsis non in adspicuum veniat, in hac re quaerenda est: dentes vulnerantes animalis rabidi, priusquam laedere possunt, plerumque per partes vestitus antea penetrare debent, saliva denubus inhaerens abstergitur, aut parva tantum copia veneni in vulnus penetrat, quod, aut haemorrhagia, aut suppuratione subsequente, aut abluendo, ex vulnere remouetur. Si nunc alii homines, quibus causae, quarum mentionem feci, deerant, ab eodem cane morderentur ac hydrophobia perierunt, facile

inducebantur medici, praedispositionem propriam assumere. Sed negare non possumus, a pluribus personis, eodem tempore, ac iisdem conditionibus a cane rabido laesis, unum prior quam alterum a hydrophobia corripitur, et morbum eo citius existere posse, quo sensibilior est aeger, quo major animi exaltatio, quo majore metu et anxietate cruciatur. Ita quoque intemperantiae in respectu diaetae, eruptionem morbi maturare possunt, ac demum observatio docuit, contagium nocentem suam vim celerius in hominibus minoris aetatis exserere.

Quod ad naturam hujus contagii attinet, fateri debemus, quamquam viri, qui studiosae naturam hujus veneni perscrutare operam dederunt, haud deerant, nos parum tantum hoc virus cognovisse. Plures putaverunt, contagium hydrophobicum chemica ratione, vim suam nocentem in corpus nostrum exserere ac tribuerunt ei, mox acidam, mox alcalinam qualitatem. Secundum aliorum sententiam mox hydrogenium, mox azoticum partes sunt praedominantes et causae virulenti ejus effectus. Sed frustra. Nondum chemia tantam perfectionem assecuta est, ut substantias animatas in prima elementa secernere possit,

ac sero tantum, aut nunquam, hac via plenam huius contagii cognitionem consequi possumus. Desault opinatus, animalculis salivae inhaerentibus, morbum excitari; Sauvages comparat contagium cum viro syphilitico; Le Camus cum viperino; Asti et Kiavalle <sup>9)</sup> cum varioloso veneno. Sed jam diu demonstratum est, quam falsas has esse comparationes. Id quod sequitur de natura contagii majore cum certitudine scimus: contagium hydrophobicum est venenum animale ac productio morbi, quo animalia, quae inter canes sunt referenda, afficiuntur, cujusque causa praecipue in haud expleto coeundi appetitu, calore et frigore permagno atque siti non sedata quaerenda est. Hoc maxime in saliva contentum esse, experientia edocti scimus, quia hac tantummodo infectio efficitur. Est natura fixum, et ad morbum provocandum necesse est, ut loca sauciata, aut epidermidi tenui tecta, attingat. Tempus in quo efficacitatem suam exserere incipit, constitui certe non potest. Diu vim suam retinet, ita ut, nonnullis annis praeterlapsis, inficere potest. Bader l. c. contendit, salivam hominis, cui hydropho-

9) Rougemont l. c. § 109.

bia morsu canis rabidi communicata sit, vi contagiosa carere, ac in recentioribus temporibus Agostino Capello <sup>10)</sup> eandem posuit sententiam. Experimentis enim invenisse putat, salivam hominis aut animalis, in quibus hydrophobia morsu canis rabidi exorta, morbum in aliis animantibus excitare non posse. Sed tristes experientiae aliorum medicorum hisce cum observationibus non congruit. <sup>11)</sup> Quo de natura contagii hydrophobici medici adhuc sunt in suspensio, eo quoque modo inter se discrepant, qua ratione et via, vim suam nocentem in corpus exserat. Nonnulli enim e. g. le Roux, Baudot, et alii, opinione ducuntur, contagium, per locale tantum incitamentum, vim suam exercere; inter plurimos autem constat, resorberi. Secundum Cel. Boerhave, venenum statum inflammatorium, secundum aliorum autem sententiam, statum putridum sanguinis producit. Haas <sup>12)</sup> dicit, praecipue agere in lympham et succum nervorum. Cel. Hofmann

10) Annali universi di Medicina 1824.

11) Hufsl. Journ. Bd. 59. St. 5.

12) Diss. de morbo venenato et rabido, Vinnæ 1775.

aliam protulit sententiam et his loquitur verbis: contagium miscetur cum succo nervorum, fermentationem efficit, et id, quod ex illa gignitur, nil aliud est, quam contagium hydrophobicum. <sup>13)</sup> Fothergill <sup>14)</sup> dicit: contagium hydrophobicum, oxygenium sanguinis, opinabilem fontem irritabilitatis ac vis vitalis, perdere videtur.

Ut mihi videtur conatus eorum, qui agendi rationem contagii hydrophobici in organismum nostrum explicare volunt, frustra sunt. Nam uti nobis nondum contigit, ut in corpus humanum agendi rationem contagii syphilitici aut variolosi et veneni viperini explicare possimus, ita quoque desperare debemus, verbis exponere, quomodo, et qua via, contagium hydrophobicum, nocentem suam vim in corpus nostrum exserit. Plurimi ac praestantissimi medicorum in eo consentiunt, resorberi uti alia venena animalia et in massam sanguinis transportari. Exinde post brevius aut longius temporis spatium, illa supra descripta phaenomena excitat, et alios corporis suc-

cos haud insigne mutans, specifica irritatione tantam mutationem in functione glandularum salivarium efficit, ut nunc contagio similis fluidum discernitur. — Sed dubitandum est omnem copiam in vulnus illati veneni resorberi. Veritas hujus observationis, quam praeceptori summe venerando, Ill. Struve debeo, his confirmatur causis: Prima notabilia morbi symptomata in adspectum veniunt loco sauciato, qui denuo inflammatur ac supra allatas mutationes ostendit. Haud minus haec sententia confirmatur experientia, omnia laudata rabiei remedia interna nil valere, neglecta vulneris cura. Denique autem ostendunt observationes Cel. Struve et Harder <sup>15)</sup> symptomata morbi jam manifesti, insigni modo diminutas esse, vulnere pluries excusato.

### De natura morbi.

In prooemio jam admonui, de hydrophobiae natura nondum satis constare, et medicos omnium temporum, et de sede, et de natura morbi quam maxime inter se discrepantes, tulisse sen-

13) Von den Poeken. 2. Bd. S. 49.

14) Abhandl. über d. Hundsw. Aus dem Engl. Wien 1810.

15) Vermischte Aufsätze aus d. Gebiete d. Heilk. von einer Gesell. pract. Acrete zu Petersburg 1811.

teutias, quas omnes hic enumerare, neque licet, neque juvat, quam ob rem, quae maxime mihi placuerunt, proponere, satis habeo. — Democritus contendit, rabiem caninam esse morbum nervorum, quod ex convulsione totius corporis et tentigine membri virilis, hanc passionem comitantibus, collegit <sup>16)</sup>. In alio loco dicit: hydrophobiam esse nervorum incendium <sup>17)</sup>. Asclepiadis nonnulli discipuli putaverunt, hydrophobiam sedem habere in cerebri membranis, ac similem esse phrenitidi et aliis mentem turbantibus morbis. Alii autem sedem hujus morbi ad diaphragma et ventriculum referebant, quia ibi dolor seniretur ac sitis magna et vomituritio adesset. Methodici, qui omnes morbos diviserunt in passiones stricturnae et relaxationis, adnumeraverunt hydrophobiam stricturnae. Aretaeus dicit: rabiem esse vitium spiritus interni; Galenus putavit, morbum nostrum esse inflammationem; alii veterum ceusebant, hydrophobiam esse morbum magis animi, quam corporis. Aromatorius, Mangold <sup>18)</sup> et

Büchner <sup>19)</sup> opinionem habuerunt, hydrophobiam esse inflammationem partialem anginosam. Simons <sup>20)</sup> dicit: rabiem esse erysipelas oesophagi ac organorum deglutitionis. Lodronchi <sup>21)</sup>, sedem rabiei in corde esse quaerendam, contendit. Morgagni et Le Roux contendunt, hydrophobiam nasci absorptione virus salivae inhaerentis, quod in corpustorum propagatum, postea vim suam secundariam in nervis exerceat. Hamilton dicit, causam proximam hujus morbi esse nervorum incitationem; Boerhave, morbum esse febrem inflammatoriam, putavit. J. Mease, hydrophobiam ut Tetanum e primitiva nervorum irritatione oriri ac remedia debilitantia noxia esse, et prima morbi symptomata, vim nervorum debilitatam significare, putans, morbum pro neuralgia, pro dynamica passione cum athenia directa, habuit. Recentioribus temporibus <sup>22)</sup>, sententia mutata, morbum esse inflammationem medullae spinalis, dicit. Desault praecipue mercurium adhibendum monet, tanquam anthelminticum, quippe

16) Caes. Aurel. Auct. morb. L. III. c. 14.

17) C. Aurel. l. e. c. 15.

18) Diss. de hydr. a morsu can. rab. Erfurt 1755.

19) Diss. de nouvel. et rab. can. pertin. Halae 1767.

20) Kommentar zu Starks Kur der Kuhn. Jena 1799.

21) Diss. de hydroph. Franc.

22) Salz. med. Zeit. 1821. N. 26.

qui hydrophobiam morbum habet verminosum. Frank dicit: hydrophobia est malum primitivum vel specificum, cujus natura nunquam mutatur, cujus seminum semper eosdem fructus producit, et ne nomen quidem hujus morbi congruum est, quippe quum furor et aquae metus apparitiones accidentariae sint. Fuerunt, qui ex celerius intrante putredine defunctorum, naturam putridam morbo attribuerint. Grundmann <sup>23)</sup> putat, morbum fluido electrico in corpore sucto, nasci, atque nervos, vehementius eo extentos, impatientes esse omnium eorum, quae electricum phlogiston augeant. Quum vero aquae haec vis inait, exinde hydrophobiam oriri. Selle <sup>24)</sup> dicit: causa proxima hujus morbi videri singularis spasmus nervorum, cui cum aliis malis, quibus homines afficiuntur, nil sit commune, quum experientia edocti scimus, fuisse, qui intra tempus laesionis et morbi evolutionis, variolas, quartanasque febres sine nullo periculo sustinuerint. Systema nervorum hoc in morbo praecipue affectum, non

23) Abhandl. über d. Wirk. d. animal. Electr. wodurch auch d. Natur der Haardw. erkennbar wird. Leipz. 1805.

24) Selle med. clin. p. 379.

solum ex symptomatibus, sed etiam ex eo apparet, quod Opium, ut in multis aliis, quibus nervi afficiuntur morbis, saepe in maxima dosi, narcotica vi caret. Sinogowitz <sup>25)</sup> allegat sententiam Cel. Kluge: hydrophobiam esse inflammationem neurilematis nervorum gangliorum. In recentioribus temporibus Goeden <sup>26)</sup> his verbis de natura hujus morbi loquitur: hydrophobiae symptomata, decursus, ejusdem evolutiones thesibus probant: sedem organicam et focum contagii primitive in medulla spinali esse quaerendos, quod postea altius et latius propagatum in gangliorum systema irrumpat, ibique efflorescentiae fastigia asequatur. Per nervum phrenicum cum medulla spinali ope nervorum cervicalium se communicantem et gangliorum systema hoc modo jungentem, contagium ab illa in hoc transit, se propagat in nervum sympathicum ejusque ganglia et ramos, summamque evolutionis in nervo vago attingit. His efficiuntur coenartheseos alienatio-

25) Diss. de hydroph. Berol. 1822.

26) Von der Bedeut. und Heilmethode der Wassersuch. Bresl. 1826.

nes etc. et in majori morbi gradu, hydrophobia, his determinatur morbi circuitus et acme; nam ultra contagium haud progreditur nervosque cerebrales vacuos ab invasione sinit. Haase l. c. dicit, causam proximam esse statum inflammatorium nervorum et postea organa deglutitionis, praecipue pharyngem et oesophagum eodem statu corripì; aliis verbis, hydrophobiam esse typhum inflammatorium, locali inflammatione conjunctum. Sed Cel. Horn jam demonstravit, quantum hic morbus differat a typho 27). Cel. Hufeland putat, causam proximam esse spasmodicam contractionem pharyngis et oesophagi, sine locali inflammatione 28). Trolletus (29), rabiem inflammationem pulmonum esse, existimat, ideoque vehiculum propagandi veneni magis esse materiam expectorationis, quam salivam. Plures adhuc eorum, qui hoc de morbo scripserunt, proferre sententias, inutile esset, cum tamen fateamur necesse sit, nullam earum, quae hucusque prodie-

27) *Huf. Journ.* B. 52.

28) *System. d. pract. Heilkunde* 2. Bd.

29) *Notizen a. d. Gebiet d. Natur u. Heilk. v. Frieriep.* 1821.

tunt sententiarum, adeo esse probatam, ut omnes in eo consentiant. Quae enim nobis si contigisset, verosimile rationalem hujus morbi radicaliter curandi methodum invenire possemus. Forasan autem jam tempus advenit, quo natura hujus morbi satis nobis explicatur et certam ejus curandi methodum asequimur. Nam Dr. Sieber pronuntiavit, se naturam rabiei penitus explorasse ac certum remedium invenisse. Haec Dris. Sieber pronuntiatio, uti par est, medicorum attentionem commovere debuit. Quum autem possessor hujus arcani, id, quod de natura morbi et ejus curandi methodo perscrutatus est, tunc tantum aperire cogitet, magno pretio accepto, vituperationem multorum effugere non potuit. Multi medici persuasi sibi habent, asserunt Dris. Sieber omni carere fide. Sed, ut mihi videtur, immerito de fide hujus viri dubitant. Conditiones, quibus Sieber arcanum suum aperire vult, tales sunt, ut affirmationibus ejus fidem adjungere possemus. Nam tunc tantum, si, experimentis institutis, efficacitatem remedii et veritatem promissi confirmaverit, pretium poscit. Mirum potius mihi videtur, conditiones Dris. Sieber nullius magistratus cujusquam civitatis attentionem in se

convertisse. Sine dubio civitatum principes lubenter tantam summam pecuniae collocarent, si pro salute generis humani, certam hujus horribilis morbi curandi rationem nancisci possint.

### Prognosis.

Ex omnibus, quae hucusque de natura hujus morbi dixi, elucet, prognosin in morbo manifesto tristissimam esse. Omnium celeberrimorum practico- rum, hunc morbum secundo tertio- que stadio raro vel nunquam curari posse, una et consentiens vox est. Hauleutner, qui hunc morbum saepe observavit assidueque scripta ad eam materiam spectantis, scrutatus est, perpauca, de rabie canina manifesta curata, memoriae pro- dita exempla, fide carere, opinatur. Nihilomi- nus tamen negari non potest, in primo stadio mor- bi, ratione medendi prophylactica sapienter et propere adhibita, ne hydrophobia erumpat, posse praecaveri.

### Cura.

Curatio hydrophobiae manifestae perraro huc- usque successit. Inter omnia, quae illi sanan-

dae apta praedicata sunt remedia, nullum inve- nies, quod certum nominetur dignum, quam- quam, ut Hauleutner in diariis Hufelandi 1823 recte monet, specifici morbi genus, cujus natura, origo et ratio semper fere eadem minimeque variantes sint, una tantummodo ratione curari possit. — Cura ipsa dividi potest, in curam pro- phylacticam et curam morbi manifesti.

### Cura prophylactica.

In primo morbi stadio, quum sanatio adhuc effici possit, omnes qui medicinam exercent, cura prophylacticae jure meritoque maximam nar- varunt operam. Morbi indicationes sunt:

- 1) Venenum in vulnus diffusum, quam celer- rime feri potest removendum, atque, ne am- plius diffundatur, praecaveudum est;
- 2) Virus jam absorptum remediis internis eli- minandum est.

Ut removeatur venenum, vulnus aqua calida eluendum atque haemorrhagiae prospiciendum, quod adhibendis ventosis atque suppuratione con- tinua effici potest. Ne vero latius diffundatur, vulnus secundo augendum, vel cauterio actuali, ad lineam

pulvère sclopetario aut aliis causticis exurendum. Sunt quoque, qui putent, mercurio, oleo, quo corpus perungendum praecipiant, succo gastrico recenti et aceto vini, decomponi posse venenum. — Cum vero minime javer omnia, quae proposita sunt remedia accuratiori hic subicere examini, satis mihi habeo, de recentis vulneris tractandi optima quae mihi videtur methodo ac ratione disserere. — Usui omnium remediorum, quibus in loco affecto venenum extinguitur, subita excisio partis vulneratae, si haec natura partis et ceterae observandae conditiones admittant; amputatio partis laesae, si fieri possit, praefenda est. Tunc medico curandum est, ut vulnus aqua calida aut salsa, aceto eluatur, ac ne haemorrhagia supprimatur, cavendum. Vulnera angusta, quorum excisionem natura partis non admittunt, secundo augeat medicus ac latus patefaciat; atque tantum absit, ut haemorrhagiam supprimat, ut potius ventosis adhibitis et fomentationibus illi prospiciat. Haemorrhagia cessante, vulnera abluat, abstergat, et cauterio naturae. Cauterio vero actuali praefenda mihi videntur caustica fluida, cum, nisi diligentissime ac gra-

vissime, quod haud semper fieri potest, adhibendum, minus prospere succedat, nec unquam satis consistet, an tota vulneris superficies a ferro candente tacta sit, nec ne. Praeterea quoque id incommodi habet cauterium actuale, ut concretam, serius delabentem, eoque necessariae vulneris suppurationi moram afferentem efficiat crustam. His vitis ac incommodis non laborant caustica fluida, quorum praecipue Lapis caust. Argent. nitr. fusum, Merc. Sublimat. corros. et Butyr. antimonii, quae adhibeantur digna mihi videntur. Butyrum inprimis antimonii magnis laudibus efferunt le Roux, Chaussier aliique 30). Dr. Loeffler in opusculo suo 31) contendit, arsenicum album optimum esse causticum, et hac utitur forma: Rec. Arsen. alb. subit. trisi, Kali carb. pur. ana unc. semis. Aq. destill. Libr. ij. solv. diger. in phiole vitr., solutioni refrigerat. adde: Aq. destill. q. s. ut totius massae pondus sit Librarum quatuor. Experimentis invenisse putat, Arsenico decomponi contagium hydrophobicum et ea de causa

30) Mekele Archiv d. pract. Arzneiwissenschaft. 2. Th. S. 251.

31) Verbsuchungsverfahren gegen d. Wassersch. Petersburg. 1812.

suadet tam diu pluries in diem hac solutione abluere vulnus, quam cicatrice nondum obductum, aut inflammatio suppuratioque ejus exorta est. Sed Dr. Mayer satis superque demonstravit, maximis cum periculis hanc methodum conjunctam esse, et Arsenicum ceteris causticis nullo modo esse praefertendum <sup>32)</sup>. — Caustico saepius atque saepius applicato, vulnus rursus eluendum et vesicatorio obtegendum, ut per duos minime menses pus collum effundatur. Vesicatorio item utendum atque suppuratio movendum est, licet saliva animalis rabidi solum cutis superficiem attigerit. Cicatrix jam formata cultro vel causticis removenda, et, ut supra dixi, tractanda est. In secundo hydrophobiae stadio, quo morbi apparitiones, ab initio saltem, adhuc sunt locales, morbum, ut Ill. Struve observationes docent, prohibere possumus, locali vulnorum cura. Quod ad secundam attinet indicationem, per multa quam maxime inter se differentia proposita sunt remedia, quae dividi possunt in:

32) Ueber die Gefahr, die mit dem äusserl. Gebr. d. Arseniks als Vorbaumittel gegen die Wundversch. verbunden ist. Charkow 1813.

a) Antispasmodica.

Omnium fere, quae huc accensenda sunt, remediorum efficacia, magnis laudibus elata est, maxime vero Belladonnae, quae, a Münchio praecipue commendata, nostris quoque temporibus inter alios Brera <sup>33)</sup> haud frustra usus est, in maxima quidem dosi, ita ut Unc. viij in 44 dierum spatio aegroti dederit. — Nihilominus vero non desunt, qui efficaciam illius negent, et persuasum mihi habeo; neglecta partis laesae cura, solum internum belladonnae usum, vi sanandi carere. — Porro huc referenda sunt: Datura stramonium; Extr. Nicotianae, Opium, Taxus, Aq. laur. teras. Nux vomit; Valerian. Moschus.

b) Sialagogā. — Mercurius, Cuprum.

Inter haec Mercurius praestantissimum habetur remedium; multi vero medici celeberr. e. g. Frank <sup>34)</sup>; Harles <sup>35)</sup>, experientia edocui affirmant, Mercurium; quā effertur laude dignum non esse.

33) Salz. med. Zeit. 1805 No. 35.

34) Medic. Polisei 4. Bd.

35) Ueber d. Behandl. d. Hundsw. Berlin 1809.

c) Oleosa. — Olei usum, partim internum, partim externum jam, Celso auctore, commendat Shadwell, Sims <sup>36)</sup> et Foehergill.

d) Diaphoretica. — Camphora, Alkali volatil. Ammon. muriat. Acetum, Balnea. — Acetum vini optimo eventu adhibuisse contendit Moneta. Satis superque autem a la Fontaine demonstratum est, hanc curandi methodum nihili esse aestimandam.

e) Diuretica. — Remedia diuretica, quorum plura spectata sunt, minime mihi videntur esse negligenda. Praestantissima eorum sunt: Anagallis arvensis, Lichen cinereus, Alysma plantago, Sedum acre, Ruta graveolens, Meloë majalis, Cantharides. Selle, Schwarz et Goeden, hujus morbi perscrutator acutissimus, contendunt, crisin hydrophobiae et decompositionem contagii hydrophobici, per urinam solam adduci. Quae opinio, multis experimentis enixa, saluberrimo effectu diureticorum confirmatur. Ut mihi videatur Cantharides et Meloes majales, praestantissima diuretica, omnibus aliis medicamentibus ad hy-

36) Memoirs of the med. soc. of London II. n. 4. III. n. 26.

drophobiae curam prophylacticam laudatis, praefenda sunt. Mihi quoque contigit esse tam felici, pluries optatum eventum de usu interno cantharidum, quorum effectus cum meloë majalibus convenit, observare (vid. infra), sed mea, tironis observatio, parvi esset momenti, nisi cum observationibus praestantissimorum omnis temporis practicorum confirmata esset. Cel. Hausleutner <sup>37)</sup>, peritus medicus, pag. 26 de meloë majali his loquitur verbis: Semper fere meloë majali, apud nos domestico, in hoc morbo usus sum, neque mihi, viginti quinque, neque Dri Riemann, quadraginta per annos medicinam exercenti, unquam accidit, ut hoc remedio finem — hydrophobiam manifestam providere, haud assecuti simus. Jam Schwenkfeld <sup>38)</sup> de meloë majali dicit: agricolae hunc melle condire solent adversus canis rabidi morsum, cujus venenum egregie expugnat; ac multi praestantissimorum medicorum huic sententiae assentiuntur; quin Greve <sup>39)</sup> in hoc morbo

37) Kritische Beleuchtung d. Beobacht. über d. Hausw. nebst erneuerter Empfehlung d. Meiwürmer. Huf. Jour. 1823.

38) Theriaca Sil. Liegn. 1603.

39) Erfahr. u. Beobacht. über d. Krankheiten d. Hausb.

cantharidibus et meloe majali tantum efficacitatem tribuit, et sibi persuasum habet, omnia Iagdata specifica inania esse. De cantharidibus Hausleutner l. c. pag. 29. dicit. „Die Kranthariden haben von jeher ihre Lobredner gefunden und sie sind gewiss auch eins der ältesten und kräftigsten Mittel, da schon Rhazes und Avicenna sie empfohlen haben und sie noch heute ihren Ruhm behaupten. In Ungarn u. Italien, so wie nach Moncon, in ganz Griechenland sind sie das gewöhnliche Mittel. Werlhof 40) hat nie die Wuth darauf entstehen sehen. Weitzmann, Vogel u. Schmucker, Selle, Baldinger u. viele andere bestätigen ihre schützende Kraft, ja Rust 41) hat sogar eine Wasserchen, die trotz der lokalen Behandlung u. Anwendung der Belladonna, in 6 Wochen nach dem Bisse eines tollen Hundes erchien, glücklich durch die Kanthariden geheilt. Das stärkste Zeugniß giebt ihnen jedoch der Primärarzt des allg. Krankenhauses in Wien, Axter, der seit 32 Jahren alle in das Haus gebrachte, von tollen Thieren gebissene Personen behandelt. Seiner Versicherung

40) Op. omn. p. 3. S. 699.

41) Med. chir. Zeit. 1811. N. 76.

nach waren Belladonna, Moschus u. s. w. stets ohne Nutzen, wohl aber leisteten die Kanthariden durch 3 bis 6 Tage innerlich zu 1 Gran mit Zucker nebst der durch ein Vesicatorium bewirkten Eiterung der Wunde alles, so daß kein so behandelter Kr. je die Hnadsw. bekam. Bernt in seinen Vorlesungen über die Rettungsmittel bei Scheintod etc. Wien 1819, bestätigt diese Thatsachen u. empfiehlt ebenfalls nur die Kanthariden. — Salubris hoc effectus melois majalis ac praecipue cantharidum, aliorum quoque observationibus confirmatur. Omnes in eo etiam consentiunt, ut in magna dosi adhibenda sint.

Haec sunt medicamina jam in antiquioribus temporibus satis cognita rabiei prophylactica, ac nunc meum est, paucis verbis mentionem facere eorum, quae in nostris temporibus inventa et commendata sunt.

1. Scutellaria laterifolia. — L. Spalding in America, nuperrime hanc commendavit et amplius ducentos a rabidis animalibus laesos, sanavisse contendit. 42) Praescribit infusionem herbae hujus plantae, atque sexum aetatemque respiciens,

42) Hüfl. Journ. 1820.

duas doses per diem sumi jubet. Pro adulto est dosis, Finta semis; tertio quoque die purgat alvum ope Florum sulphuris. Sed maximis laudibus ornata Scutellaria gloriam specifiçi servare non potuit, nam satis certe scimus, eam nil valere. In America, patria hujus plantae, declaraverunt medici, hoc medicamen hydrophobiam prohibere et sanare non posse. 43)

2. Acidum hydrochloricum. — Anelli, Med. Italicus, hoc laudat medicamentum. Ad usum internum praescribit Scrup. LX — LXX cum Syrupo aut Mic. pan. alb. ut fiant pillulae, ac linteum carptum, quo vulnus tegitur, eodem acido humectat. Anelli autem ipse suadet, priusquam in hominibus adhibeamus, experimentis in animalibus institutis, acidi hydrochlorinici vim acuratori subjicere examini. 44)

3. Potio sanguinis calidi modo macratae anatis, gallinae aut ovis. Hujus remedii a Cel. Persoon commendati saluberrimus effectus, a Doctore Rittmeister, medico urbis Pawlowski, confirmatur. 45)

43) Salz. med. Zeit. 1804, N. 26.

44) Annali univers. di Medicina 1805.

45) Huf. Jour. B. 52.

4. Genista lutea. — Marochetti, Med. nuperrime contendit, post morsum animalis rabidi, venenum hydrophobicum canaliculos glandularum sublingualium intrare, et unum duosve formare nodulos; specillo fluctuationem animadverti. Venenum autem hisce in nodulis remanens viginti et quatuor circiter horis elapsis, resorberi, et per metastasin in cerebrum et nervorum systemata, hydrophobiam gignere; — tempus, quo hi noduli formantur, accurate finiri non posse. Has observationes Marochetti non solum ipse in nuperimis temporibus probatas invenit 46), sed etiam omnium fere terrarum medici, se ejusmodi nodulos invenisse confirmant. Ea de causa mendum methodus Dris Marochetti digna est, quae diligenter examinetur ac adhibeatur. Methodus autem in eo constat: Noduli sub lingua formati (saepissime intra 6 hebdomades post morsum formantur) aperiuntur, ac acu candenti comburuntur. Cauterisatione adhibita, pluries per diem aegrotus decocto summmitatum genistae luteae tinctoris gargarizat, et per sex hebdomades continuas ejusdem decocti quotidie libram unam et semis

46) Petersb. Zeit. 1825. N. 63.

bibit, aut quater per diem Drachmam unam pulveris herbae genistae luteae sumit.

5. Specifica principum Schwarzenberg et Blücher in recentioribus temporibus medicorum attentionem in se convertiebant. Substantiae, quibus specificum principis Schwarzenberg compositum est, adhuc sunt incognitae et Cel. Rust 47), qui jussu magistratus Austriaci in nonnullis rabiei casibus hoc arcano usus est, dicit, morbum sanare non posse. In iis enim aegrotantium, quorum, uti inventor hujus arcani praescribit, vulnera cultro non excindebantur aut causticis tractata sunt, rabiei evolutionem prohibere non potuit laudatum illud specificum. — Specificum principis Blücher ex his compositum est substantiis: Rec. Nucleor. nuc. jugland. N. 60. Rutae graveol. rec. manip. ꝑ conc. et cont. terendo adm. Mellis opt. Libr. ꝑ — A cane laesus bis per diem cochlearium hujus mixtionis sumere debet, sed morbo jam manifesto dosis augenda est 48). Rust l. c. professus est, se hujus medicaminis efficitatem nec confirmare, nec negare posse.

47) Magaz. d. Heilk. B. 1. S. 106.

48) Rusts Magaz. B. 1. S. 61 L. 9 S. 539.

## Cura morbi manifesti,

Quamquam plurimi medicorum persuasi sibi habeant rabiem semel exultam curari plane non posse — et revera haud multae sanatae occurrunt exempla — tamen medici est, adhibere, quae interdum salutaria fuisse dicuntur remedia. In hoc quoque morbi stadio partis laesae tractandae, priusquam quae proponuntur medicinae adhibentur, summa cura habenda est. Earum, quae propositae sunt atque probatae dicuntur hujus morbi curandi rationes praecipuae, haec sunt:

1) Submersio aegroti in aquam.

Repente ac inopinate aegrotum in aquam submergere vel aqua profundere, quo vero facto, ne corpus nervorum distentione absumatur, perungere oleo calido — probatum censeet remedium Celsus, 49) cui et alii e. g. Aubry, Morgagni, Goeden etc. assentiuntur. Qui hanc curandi rationem secuti observarunt haec sunt: Aegrotus totus tremit horretque, trepidat aquam abhorrens. Perdurante vero catem superfusione, haud amplius laborare videtur, pulsus arteriarum initio citatus atque inaequalis, sed satior fit, aequisque movetur inter-

49) Lib. 5. c. 27.

vallis, cutisque calor excitatur. Aegrotus, re bene cedente, somno opprimitur atque sudorem emittit. — Sed ut Rougemont, Honel, van Swieten, Rust docent; minime desunt exempla, hanc curandi rationem non semper prospere cessasse.

2) Sanguinis missio usque ad deliquium.

Minime negligenda videtur haec rabiei ex-nandae ratio, quam secuti sunt Tymon, Hufeland et Vogelsang, qui saepius rabiem jam manifestam sanasse affirmant. Secundum Hufeland erumpente statim morbo vena aperienda est atque tot, sanguinis emittendum, ut aegrotus deliquium animi patitur. — Morbo aggravescente ac crescente sanguinis missio repetenda. — Quam Tymon proponit ratio, eo tantummodo ab illa Hufelandi differt, ut brachio utroque simul tot sanguinis miti velit, ut venarum pulsus sentiri non possit. Sanguine emissa, centum guttas Laudani datis, clysmatibus, secunda quaque hora adhibendis, tercentas guttas Laudani immiscere atque tertia quaque hora Ungt. Neapol. drachmam inungere praecipit. Praeterea quoque, tonsis capillis, capiti vesicatorium imponendum atque Opium ac Hydrarg. muriat. mite praebendum, et, ne silyus obstruatur, Oleum Ricini dandum censet.

— Sed quamquam Tymon magnis hanc curandi methodum efferau laudibus, tamen ab aliis adhibita, tam raro bene processit, ut et Rust, Ritter 50) et Horn 51) eam rejiciant.

3) Insectio aqua calidae in venas.

Injectionem aquae in venas Cel. Magendie in nosocomio Hotel Dieu instituit. Aegrotus venam aperuit et 75 Centiletres aquae calidae a temperatura 30° R. injectit. Arteriae ante injectionem centies et quinquagies in sexagesima horae parte micantes, nunc octogies tantum movebantur, aegrotus libenter potum hausit et animus ejus sedatus est. Hic status per nonnullas dies astitit, tunc autem vis morbi aucta est et periit aegrotus 52).

4) Plumbum aceticum.

Angli primi hoc rabiei curandae remedio usi sunt. Dr. Fayermann, Norwichensis, scribit: Frustra, quae vulgo praedicantur adhibitis remediis, cum persuasum mihi habeam hydrophobiam esse morbum nerveum, plumbo, quod efficacissimum nervinum cognoveram, etiam in hoc mor-

50) Rusti Magaz. B. 1. u. 9.

51) Archiv. f. med. Erfahr. 18:54

52) Rust. Magaz. 16 B.

hó utendi consilium cepi. Pulsus aegroti erat inaequalis, tremens et citatus, centies quinquies in sexagesima horae parte micans. Dabam 35 gutt. Liqueoris plumb. acet. saccharo infusa. Parvo intermisso temporis spatio dedi 40 guttas; aliquot horis elapsis, sanguine misso; iterum 45 guttas datsæ ac postremo 50 gutt. Ad extremum frigore spinâ contracta et paralysis extremitatum orta est. Hydrophobiae symptomata evanescebant. Oleum Ricini dandum ac potionem Liqueoris plumbi acet. ad decem guttas sensim sensimque minuendam curavi. Quadraginta et octo horis a primâ dosi data elapsis, hydrophobia cessit, atque aegrotus plane convaluit. 53)

#### 5) Antispasmodica:

Inter medicamina, quibus in hoc morbi stadio prospere medici sunt uti, Opium, Belladonna et Moschus, quae commemorantur dignae sunt.

#### 6) Arsenicum album:

Licet Hunter et Orfila opinantur, hujus medicamenti granum dimidium singulis diebus datum, magno esse usui; tamen hoc remedio aspernimo,

53) *Salzb. med. Zeit. Beilage zu Nr. 85 1826.*

de cuius efficacia nondum satis constet, utendum non censeo.

#### 7) Cantharides et Meloe majalis.

Etiâ in hoc morbi stadio efficacissimae sunt, multique celeberrimorum medicorum, e. g. Kortum, Selle, Werlhof, in iis solis adhibitis aegroti salutem positam putant.

### Observatio prima.

Aestate anni 1825, tempore meridiano lupus rabidus ad aulam rustici, praedio Kardis, in Livonia sito, adscripti occurrens, ingenti rabie in puerum, duos fere annos natum, ludendoque in aula tempus terentem, irrumpit. Pater, flebili clamore adductus, filium e fauce saevientis beluae liberat, quae statim e conspectu fugit, postea vero adhuc magnam miserandam cladem hominum et animalium fecit. Misere laceratus puer, statim ad dominum praedii offertur. Ibidem eum vidi multis partimque admodum gravibus vulneribus, praecipue in humeris, brachiis, in pectore atque cruribus confectum. Vulneribus calida aqua acetoque bene diuque ablutis, haemorrhagia cessante, vulnera pulvere Cantharidum inspergenda curavi, parentibus excisionem aut

applicationem cauterii actualis non concedentibus, cauterisque fluidis non exstantibus. Praeterea puero pulvis Cantharidum fervente aceto superfusa, quantum per aetatem licuit, data. Suppurationis tempore elapso, vulnera cicatricibus sunt obducta atque puer convalescit.

### Observatio secunda.

In praedio Wainasfer anno 1825, canis vere rabidus tres homines jam adultae aetatis, inter quos dominus canis, morsu petiit. Sauciatu non adducebantur, ut vulnera cultro excinderentur, aut cauterium actuale adhiberetur. Ea de causa vulneribus statim aqua calida acetoque ablatis, ad pus movendum pulverem Cantharidum inspersi ac vesicatorio vulnera obtexi. Ad usum internum sex Cantharides aceto calido dedi. Mictus etruentus exinde ortus, aliquot post dies cessavit. Suppuratio vulnerum per duos menses tenuit, cicatrices bonae formatae sunt et usque ad hunc diem nulla rabiei vestigia apparuerunt.